QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VII. IANVARII, M. IOANNE TEXIER DOCT. MED. MODERATORE.

An quibus rariores dentes βεαχεῖώτεροι. 692

GENERARI, viuere, ac mori, quæ tria ſe neceſſariò conſequuntur, animalibus tantùm ac ſtirpibus; non item cælis, ab interno licet principio motis, non planetis, qui perinde ac ἀπλανεῖς ſuis orbibus infixi hærent, non elementis, lapidibus, metallis, non deniq; toti mundo conceſſum. Vnius cuiuſq; cùm plantæ, tùm animalis vnica eſt forma ſubſtantialis anima, cuius prima cum corpore vnitio generatio eſt, in corpore permanſio vita, à corpore ſeparatio mors. Generatio, vitæ principium, & mors, eiuſdem extremum non finis, momentaneæ ſunt. Vna vita eſt quam tempore metiri licet. Actionibus eadem ipſa innoteſcit, nec definitur tamen. Otioſa nonnumquam in corpore, non ægrorum modo, vt ἀποπλήκτων, κατεχομένων, λειποψυχόντων, hyſtericarum, ſed & ſanorum, puta ἀναχωρούντων, anima delitеſcit. Caue confundas ſalubrem vitam cum diuturna, licet ijſdem vtraque cauſis accepta feratur, vbertati nimirum irreparabilis humidi primigenij eiuſdemque cum innato calore (neutiquam cæleſti) proportioni, potiuſquàm aſpectui benigno natalitiorum ſyderum, potiuſquàm partium vllarum, nequidem cordis, moli, ponderi.

SVA cuiq; viuentium ſpeciei ſtata temporis meta eſt, quam vltrà prorogari vita nequit, citrà ferè ſiſtitur, & ad quam nonniſi per varias temperamenti, adeoq; & morum, immutationes ſingulis ferè ſeptennijs in homine conſpicuas, ætates vocant, peruenire poteſt. Fabuloſa quæ de animalium æuo refert Heſiodus, Cornici nouem noſtras attribuens ætates, quadruplum eius ceruis, id triplicatum coruis. Vita hominis, ſi cum arte quidem conferatur, breuis eſt, ſi cum alijs animalibus, longa. Hunc tamen elephas vt vaſtitate corporis ſic longæuitate ſuperat. *Numerus dierum hominum vt multum centum anni*, ſummus adoleſcendi humani corporis modus ſeptem pedes. Priſcorum tamen nonnullis vt proceriora robuſtioraque corpora, ita productiorem ſalubrioremq; fuiſſe vitam minimè diffitemur. Nec propterea fatiſcere vniuerſalis naturæ vires, mundumq; ſeneſcere credibile eſt.

VPERSTITIOSE Auguſtus, cui dentes paruos, raros, & ſcabros fuiſſe conſtat, lætabatur quod tertium & ſexageſimum ætatis annum incolumis euaſiſſet: quaſi verò climacterico magis quàm ſubſequente anno calor inſitus extinctioni foret obnoxius. Hic flammæ inſtar ſurſum mouetur, naturaliter, & deorſum, ad pabulum, hiſq; ſe, ac proinde vitam, tuetur motibus, quorum alterutro præpedito pereat illicò neceſſe eſt. Motui ſupero humorum copia excrementorumq; prouentus ineuitabilis obſiſtit. Infero calor ipſemet proprij ſubjecti conſumptor perpetuus. Eódem conſpirant feruida ambientis conſtitutio, meri ciborumq; pipere, ſale, ſinapi, conditorum vſus, inedia, vigiliæ, vltrà primum ſudorem producta exercitatio, Venus, etiam modica & tempeſtiua. Hinc diutiùs in temperata regione viuitur, in torrida & frigidiore minùs. valeant Germani cum ſuis caldarijs, in quibus totam hyemem glirium inſtar latere ne ſenibus quidem confert. Plures, contrà quàm vulgari fertur adagio, Medici ſeneſcunt quàm heluones. Equabus & aſinis viuaciores muli. Ceruis, quiſemel tàtùm in anno coëunt, vita in confeſſo longa eſt. Nihil deniq; ad viuacitatem melius quàm benè viuere & lætari.

NVLLIBÎ longitudinis vitæ manifeſtius augurium quàm in dentibus, qui vnâ cum reliquis oſſibus in vtero, eadem ex materia, eodemq; ab efficiente, ſed aliâ figurâ, alioſq; ad vſus effinguntur: modò plures ſibiq; inuicem coniunctiores, immò & interdum per ſymphiſim vniti, (tùm nempe cùm vegetus calor conformationis opifex ſeminis craſſamentum, quod tractet, copioſum & pingue nanciſcitur) modò pauciores, minores, rariores, vbi vel idem agens imbecillius, vel ſufficiens ei materia non ſuppetit, aut ſaltem dilutior nimiumque aquoſa. Hinc præter inciſores octo, quatuorq; caninos (quorum haud periculoſior quàm aliorum euulſio eſt) molares viris ferè viginti, fœminis ſexdecim duntaxat inſunt, non vt piſcibus & ſerpentibus ſerrati, non exerti vt apro, hippopotamo, elephanto, ſed continui & æquales vtraq; oris parte. Omnium ea eſt durities vt ignibus inuicti cum reliquo corpore non crementur; ſenſus tamen & doloris, etiam pulſatorij, immò & cariei ſunt capaces.

DENTIVM dignitas nulla, vſus momenti eſt maximi. Alimentum, quo ſubſtantiæ noſtræ iactura perennis inſtauratur, nullum eſt adeò συγγενὲς καὶ εὐπρόσφυτον, quod non ἑτερογενὲς quid excrementitiumque, triplici coctione ſecernendum, contineat. Nullum coqui perfectè poteſt, niſi præuiâ quâdam alteratione præparatum. Pro chyloſi, excrementorum omnis generis fœturam μύλωσιν (quam laudabilis nunquam excipit hæmatoſis) expectet qui ſolidiores cibos in ventriculum, vnicam primæ coctionis officinam, integros ingeſſerit. Ad hoc (potiùs quàm ad vocis ſermoniſq; regimen) primores dentes comparati vt cultri inſtar continuos cibos, priuſquàm ingerantur, in fruſta diuidant. Ad hoc κυνόδοντες vt duriores confringant. Ad hoc μύλαι vt ſaliuâ, quam tonſillæ ſubminiſtrant, vndequaq; perfuſos exactè comminuant, ſicq; fit maſticatio quam eò citiùs perfectiuſq; quò ſibi inuicem viciniores ſunt, dentes ipſi abſoluunt. Nec inde illis verendum ne continuo eiuſmodi attritu attenuentur, deficiantq; tandem, cùm, denegatam reliquis partibus, ad vltimum vſque ſenium creſcendi facultatem habeant.

Ergo quibus dentes rariores βεαχεῖώτεροι.

Proponebat Lutetiæ IOANNES VACHEROT, Pariſinus. Anno R.S.H. M.DC.XXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Guillelmus Dupré.
M. Philibertus Moriſſet.
M. Carolus le Clerc.
M. Joannes Bourgeois.
M. Mauricius de Monſtreuil.
M. Guillelmus Gion.
M. Georgius Arbault.
M. Carolus Bouuart.
M. Claudius Charles. P. R.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE